

fbabimus. Ascribimus autem naturæ. Hæc enim uti  
cum vitali statim aurâ quibusdam purpuram donat &  
afces, h. e. ad imperium aptos producit: ita & eos in  
lucem hanc sistit, qui submittant sese terrenis istis Diis  
& parendi gloriam sibi solam habeant relictam, in eaq;  
suaviter acquiescant. Non affectat in celum viam vilis  
Macca, & quem

non pudet in morem discincti vivere naccæ.  
Fruges consumunt, quibus sunt nati, & genitæ glebæ  
adhærent.

3. Non inficiamur, sæpè turbari hunc naturæ or-  
dinem, & admitti Sardanapalum, qui rectius colum tra-  
ctaret, quàm Rempubl., studiosior gulæ, quàm publicæ  
salutis. Ratum tamen habemus legitimumq; pronun-  
ciamus illud in alios jus, quod quis vel successionis lege,  
vel eligentium suffragiis, vel justâ occupatione, & si qui  
alii dari possunt ad magistratum perveniendi modi, sibi  
vindicavit semel.

4. Accedunt Homagii, vel Panagii, ut alii vocant,  
solennia, quibus & certus redditur Magistratus de suo-  
rum fide, & subditis in memoriam revocantur, quæ of-  
ficii suadet ratio. Licet enim sine juramento obliga-  
tio intercedat ex promisso; major tamen videtur esse au-  
toritas juramenti: cum metu pœnæ sæpè dediscant pec-  
care homines. Præstatur hoc homagium toties, quoties  
mutantur Imperantes noviq; constituuntur, vel in ipso  
regiminis initio statim, vel post aliquot demum annos.

5. His modis ergò qui alterius potestati subjiciuntur,  
subditi nobis sunt, obedientiamq; debent quoad omnia,  
quæ ad habente illam potestatem imperantur; nisi viole-  
tur istis mandatis gloria Dei, quæ sola illam obligationē  
quæ inter Magistratum & subditum intercedit, tollit.

6. Qu